



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1783**

**VD18 90119304**

§. 9. Imperatoris Sinensis edictum contra Pontificis Constitutionem & Missionarios.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

se utpote idiomatis Sinici minus gnarum, de eo judicare haud posse, proinde ab Interpretibus in Sinensi & Europæo idiomate versatis exquirerent, utra relatio verior sit, instabant Mandarinum, ut saltem ipse etiam nuperi colloquii, prout ei ab Interpretibus exhibita fuit, relationem conficeret: id altera die se facturum spondit Legatus, qui etiam petitam relationem cum suis Missionariis conscripserat.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1721.

§. IX.

*Imperatoris Sinensis edictum contra Pontificis Constitutionem & Missionarios.*

Die decima octava Januarii Legatus relationem Mandarinis ad se venientibus consignare parabat, hi autem de ea parum solliciti, edictum Imperatoris proprio suo chirographo rubris literis ad finem Constitutionis scriptum eidem tradiderant. Erat autem tenoris sequentis. *Legendo decretum istud, tantummodo dici potest, spectare ad homines viles Europeos, quomodo dici potest, quos spectet ad magnam doctrinam Sinicam, A fortiori cum Europæorum nullus sit, qui noverit literas Sinicas, plura reperiuntur indigna, nunc videndo decretum allatum a Legato magnam habet conformi-*

*Viann. rel. Legat. pag. 147.*

Sæc. XVII *tatem sectæ Idololatrarum ad paucas sectas*  
A C. 1721. *Hoxan Xi: habent inter se perturbatam dispu-*  
*tationem, qua major nulla esse potest. In*  
*posterum non expedit relinquere Europæos,*  
*qui sunt in Sinis ad propagandam suam*  
*Legem, quæ debet prohiberi, & sic molesta*  
*negotia evitabuntur.*

LECTO hoc edicto, Legatus mox datis literis, ut religionem Christianam prædicari, permittere dignaretur, Imperatorem rogabat, pollicitus, se in ceteris exactam Regiis jussis obedientiam præstituram, cunctosque Europæos deinceps sine contentione aut dissidio pacem culturos: Has literas, ut omnes Europæi suo firmarent chirographo, admonuit Legatus, neminem tamen compulit. Subscripserant omnes Missionarii Congregationis de Propaganda fide, Jesuitæ tamen obtendebant, quod hac petitione magis adhuc indignatio suæ Majestatis provocaretur, totiusque Missionis ruina per Jesuitarum subscriptionem promoveretur: nil autem consultius foret, quam Constitutionis suppressionem: His vero reposuit Legatus, se potius mori esse paratum, quam ejusmodi suppressione, quæ ejus facultatem excederet, Deum offendere: repetiit tamen Pater Murao, ex Constitutionis observantia totius Missionis excidium Legati culpæ im-

imputandum absdubio secuturum, in-  
 gens vero hoc periculum saltem dilata  
 Constitutionis executione præcavere,  
 Legatum esse lege Divina obstrictum,  
 nec ipsum Pontificem hanc Constitutio-  
 nem edere, illiusque observantiam  
 præcipere, salva conscientia potuisse;  
 eum enim de Sinensium ritibus male  
 informatum certo certius, si in hac  
 rerum vicissitudine præsens foret, de-  
 cretum suum nunc revocaturum, de  
 cetero autem Legatum esse obstrictum  
 ad reddendam rationem Lusitano Regi,  
 qui Constitutionis observantiam cum  
 Missionis excidio urgeri, nunquam in-  
 tendisset. Ad hæc Legatus ira com-  
 motior respondit, se Imperatorem sibi  
 suisque fociis adeo benevolum & de  
 Ecclesia tam bene meritum summo  
 quidem in honore habere, se tamen  
 teneri obedire summo Pontifici, a  
 quo Constitutionem supprimendi po-  
 testatem adeo non recepisset, ut ipse  
 potius hanc facultatem omnibus, cujus-  
 cunque dignitatis, vel conditionis forent,  
 ademisset: si tamen Missionis ruina sibi  
 imputaretur, malle se hanc maculam  
 tolerare, quam sua inobedientia erga  
 Pontificis jussa Deum sibi infensum red-  
 dere, imo velle se potius ad pati-  
 buli supplicium ab Imperatore damnari,  
 quam ad Constitutionis suspensionem

Sæc. XVIII.

A. C 1721.

Sæc. XVIII. induci: Postea Legatus summa mansuetudine Jesuitam ad saniora reducere satagit, qui tamen eidem arrogantius respondit, *neminem, præter Deum timeo, cui Legatus, si Deum times, reverere etiam summum Pontificem, ejusque Ministrum.* Interim vero Pater Mailer præsentibus quibusdam Missionariis antecubuli fores consistens assererat, Constitutionem non esse dogmaticam, sed merum præceptum Ecclesiasticum cum gravi damno non obligans, seque etiam Romæ in faciem ipsius Pontificis hanc propositionem defendere, paratum esse: Hanc tamen verborum intemperiam excusabat Roveda, asserens, ea duntaxat intelligenda esse in hypotesi, quod ex Constitutionis observantia animarum, & Missionis ruina sequeretur: alii indignabantur novis Missionariis, eoquod Legatum ad suspendendam Constitutionem non compellerent, ad quod tamen obstricti forent, eoquod, arguebant illi, *Constitutio Pontificia sit purum ejus præceptum Ecclesiasticum, ejus vero observantia maximum damnum, scilicet Missionis jacturam inducat, proin nunc adeo non obliget, quin saltem sit suspendenda.*